



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 121. Nam & loquela te manifestum facit. v. 73.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

ter revocare. Vide, anima mea, quo diutius persistit Petrus apud malam societatem, eo gravius tentatur, antea ab ancilla & ancilla, modo turba tota circumdante eum in atrio: sic quo, quis diutius persistit in occasione mala, eo gravius tentabitur, & gravius delinquet, nisi assimiletur *Caprea binnuloque cervorum, super montes aromatum, super montes Bethel.*

Hujus rei testis est mea quoque conscientia o Jesu, quo enim diutius permansi cum malis & in peccati occasione eo sæpius peccavi & gravius, pro dolor: sed quia Petrus se ipsum tibi totum antea resignarat, corque illius & intentio recta & vera perseverabant erga te Domine, tua etiam gratia, casus hic non fuit illi ad damnationem sed medicina potius, eadem operante gratia conversionem & fletum. Ita Domine fiat mihi, ut qui tibi me ipsum devovi a puero semper, & mea non sit mihi reatus meus ad pœnam, sed occasio salutaris ad veniam, infirmitas mea sit causa & materia memet magis humiliandi cum Petro, ad te revertendi magis magisque amandi & adherendi in vitam æternam.

§. 121. *Nam & loquela te manifestum facit. v. 73.*

Argumento utuntur ad hominem quo Petrum arguant mendacij, & deducant ad confessionem Domini sui & veritatis, dicunt enim loquela te manifestum facit, nam & Galilæus es seu idiotismo & accentu Galilææ Provincie uteris. Hoc erat argumentum militum & ministrorum, quo Petrus oppugnabatur, quod licet non sit tale ut inde concludere liceat, ergo Galilæus es & consequenter etiam male concludat, ergo Christi discipulus es, quia multi Galilæi discipuli Christi non fuere: tamen argumento hoc victus est Petrus & plane deiectus, & convictus, quia in Petro verum concludebatur argumento falso, nam & Galilæus erat, & discipulus Christi quod argumentum cum non posset conscientia victus refellere, cepit iurare & detestari, quia non novisset hominem Jesum: o miseriam humanam, si tanta infirmitas non stabilietur Dei gratia. Scio quosdam pio affectu erga Apostolum Petrum locum hunc ita interpretari, ut dicant, Petrum hominem negasse, non Deum, sed hi exultationem querunt in manifesto peccato, si ve enim hominem, si ve Deum negaverit, certe personam negavit, quæ & homo erat & Deus.

Quam bonum est veritati nunquam resistere, incundum sed candide causam defensione cessare. *Fruitus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia & veritate. Ephes. 4.* & quia Petrus non mansit in veritate ideo nec in professione veræ fidei & bonitatis & iustitiæ permansit, quod tanto cum dolore postea plangere debuit diebus vitæ suæ: ergo Iesu pie qui es ipsa veritas da mihi gratiam ut maneam semper in veritate, sic manebo in luce veræ fidei bonitatis & iustitiæ, & postea *habitabo in tabernaculis tuis, teste Prophet. ps. 14.* §. 122.